

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiae Majestatis
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

Cocceji, Samuel von

Lipsiae, 1766

LIB. L. TIT. XI. De Nundinis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9050

sed & quid consultius sit sibi ac Reip. suæ, quid generosius, quid decen-
tius &c. At ex eo, quod populi ac Principes in Legatorum delicta inqui-
siverunt & animadverterunt, sequitur, id Jure Naturæ sibi licitum per-
missumque sensisse. Itaque ex his affirmative, ut loquuntur scholæ, in-
ferri potest, ex illis negative non potest.

§. XLII. Etsi igitur hoc præsertim seculo Principes ac populi Eu-
ropæ vix vel rarißime in Legatos, si quid admiserint, statuere, sed vel
illud dissimulare, vel Principi ipsorum denunciare id soleant; non tamen
inde concludi potest, quod jure non possint in eos statuere; sed quod
vel id præsenti rerum statui non conducere, vel quod generosius id
esse existimant, ita agere; vel denique, si id juris esse velint, non esse hoc
nisi Ius Gentium secundarium, quod summos Principes, qui non nisi
DEUM superiorem agnoscunt, non obligat, *ut supr. dictum.*

D E N U N D I N I S.

Qv. I. *Quaenam sit ratio hujus privilegii?*

R E S P. Extranei regulariter excluduntur a commerciis; quia, cum
cives onera soli ferant, æquum est, ut commoda commerciorum soli
habeant. Ne tamen in totum excludantur extranei, Nundinæ sunt in-
tructæ, seu conventus mercatus causa publica autoritate instituti, cum
privilegio, quod extranei advenire, nec personæ vel res eorum, qui con-
venierunt mercatus causa, illic possint detineri, vel injus vocari, ex causa
civili antecedente. *L. un. C. h.*

O B J. Quod commercia sint Juris Gentium, indeque non opus ha-
beant privilegio.

R E S P. Etiam eis, quæ sunt Juris Gentium, propter utilitatem publi-
cam derogari potest. Sed & privilegium illud excedit fines Juris Gentium,
utpote quo illi, qui mercatus causa accedunt, omnino propter debi-
tum conveniri possunt.

Qv.

Qv. II. *An nundinae, quae a Statibus instituuntur, re-
ste dicantur minus solennes?*

NEGATUR, sed haec & que solennes sunt, ac illæ, quas Imperator insit. *Laut. pag. 742. verb.*
tuit, eademque habent privilegia, nec differunt, nisi latitudine privi-
legii: nam illæ valent saltem intra fines territorii cuiusque Status, nec ul-*minus so-*
tra securitas extenditur; at nundinae, ab Imperatore confirmatae, valent
per totum Imperium. *Dn. Par. Jur. publ. c. 23. §. 10.*

Qv. III. *An propter contractum, in ipsis nundinis
celebratum, aliquis conveniri possit?*

AFFIRMATUR: Quia privilegia dantur ad amplificanda commercia; *Dissentit Laut. pag.*
at tale privilegium tenderet ad destructionem commerciorum; ne-
que favor is esset mercatorum, quia nemo cum iis contracturus esset; *Sa. 742. verb.*
ne legatus, qui maiori privilegio gaudet, de debitis tempore legationis *neque pro-*
contractis, conveniri in loco legationis potest, *L. 2. §. 3. Et 4. ff. de Jud. &*
ratio additur in *L. 25. ff. eod.* quia alias potestas eis daretur, sub hac specie
res alienas domum auferendi. Sed & ratio securitatis hic cessat; quia
jam est in nundinis.

O B S T A T. *L. un. C. h. ubi in genere dicitur, nullum in mercatibus at-*
que nundinis ex negotiorum mercibus convenienti &c. vel sub praetextu
privati debiti aliquam ibidem concurrentibus modis posse inferre; ge-
neralia autem generaliter sunt intelligenda, L. 8. de Publ. in rem act. L. 1.
§. 1. de Leg. praeft.

R E S P. Imo contra rationem Juris & æquitatem extensio illa fieri non
debet; dixi enim, iniquissimum esse, si contrahenti in nundinis ad suum
forum provocare liceret.

Atque pro nostra fententia militant *Wef. & Mev. apud Laut. h.t. Brunn.*
ad W. h. qu. 2. Dn. Par. Jur. publ. c. 23. §. 10. ibique Dd. Treutl. D. 2. th.
2. lit. c. Aliud obtinet in Saxonia, *Carps. P. 1. C. 30. def. 26.*

N O T. Securitas haec plane non pertinet ad delicta. *Dn. Par. d. §. 10.*
Atque hinc relegati, tempore nundinatum reversi, abscissione digitorum,
fusigatione, quin aliquando gladio punitos esse, ait *Phil. Us. pr. Inst. L. 1.*
Ecl. 75 n. 4. Ita, qui rem furtivam in nundinis vendit, ideo conveniri, &
ab emtote res vindicari potest, *Phil. d. lib. 4. Ecl. 9. n. 3.*



LIB. L. TIT. XII.

DE POLLICITATIONIBUS.

Qv. *An differat pollicitatio a pacto?*

AFFIRMATUR: Quia pactum utriusque consensu contrahitur; pollicitatio unius consensu perficitur. *Dn. Par. Hyp. Inst. de Oblig. §. 6.*


OBJ. Quod tamen etiam in pollicatione requiratur, ut alter deinde acceptet. *L. 3. h.*

RESP. Hoc verum est ratione acquisitionis, nam non acquiritur alteri, qui rem habere non vult: at ante acceptationem promissor vere est obligatus, nec pœnitere potest, *d. L. 3. pr. h. secus, ac in pactis.*

OBJ. Pollicationem pactum dici in *L. 5. C. de contr. stip.*

RESP. Omnino etiam per pactum fieri potest, atid non est de essentia. An est pollicitatio, si alter, cui promittitur, tacet?

AFFIRMAT *Treutl. tit. de Paßl. th. 1. lit. 6. Negat Fach. 8. controv. 64.*
Posterior sententia verior, sed tum verum erit pactum, quia tacens consentire videtur.

F I N I S.**INDEX**